









1735.

1. Brückenslock. J. Pascalis : De obligacionibus et actionibus, illarum natura, ei, potestate aliquae effectu cum ex placitis juris civitatis, tunc ex principiis iuris naturae et gentium.
2. Fuchs, Hermann Paulus : De eo, quod iustum est circa punctum honoris usque cum point d'honneur.
3. Luzzetti, Iacobus Michael : De instictu, sensu nixa hominum universali ad aeternam felicitatem
4. Fuchs, Hermann Paulus : De pacto reservati dominii in operatione usque ad pretii residui solutionem, ejusque effectibus invencionibus in concursu potissimum oratorum.
5. Reinhart, Tobias Jacob, Facult., iuris Doctor :  
ad... Dissertationem iung (Christian. Gottschel. Sedmii)  
intitulata.
6. Reinhart, Tobias Jacob, Facult., iuris Doctor :  
ad... Dissertationem iung ... (Christian. Schuster) intitulata

1. Reinhardt, Tobias Tacet, Facult. iuris Sacrae docente  
... ad Mortalium in usus (Gothicus. Henricus Hickmann)  
institut.
2. Reinhardt, Tobias Tacet.: De qualitate actionum et  
receptionum in processu executionis.
3. Reinhardt, Tobias Tacet.: De testamento imperfecto  
perfectum inserviente.
4. Schenck, Christian Gallus: De rebus aetatis
5. Fuchs, Hermann Danicus: De raro ac exigitu usu  
processus postorii et dirarii, presentationem  
in summarissimo latere reservati.
6. Schorckus, Hieronymus Fridericus: De eo, quod honestam,  
justum et decorum artificia delectationem inquisiti:
7. Schaefer, Christianus: De eo, quod circa expensas  
in justitiorum et criminalium iustum est.
8. Simon, Antonius Hanianus: De jure consuetudinario

- S
15. Stahlius<sup>o</sup>, Ios. Joannes: Dissertatione in ang. uerba,  
sive i' D' nosologiam sic mortuum, quod in se  
ipso expertus est, narrationem?
16. Stoltze, Fr. v. Leibnitz: De marchi obsecrati in bonis  
uxoris sibi competitatis usurpatis remuneratione,  
quatenus valeat?
17. Strocker, Coss. Wilhelm: De causis, quae mortuam  
ab us, fructu bonorum uxoris excludant?
18. Strocker, Coss. Wilhelm: De proctoris bellici, quem  
vulgo auditorem vocant, officio in causis crimi-  
nibus.
19. Strocker, Coss. Wilhelm: De advocate praevaricatore.
20. Strocker, Coss. Wilhelm: Dissertatione in ang. jure et  
legem Pompejanam de purissimo.
- 21<sup>a</sup> 2<sup>b</sup>. Strocker, Coss. Wilhelm: De fide et legititate  
mortici in investiganda vulneram lethastate
- 1 Decemb 1735 - 1736.

22. Stroeker, Cas. Wilhelmi: *De nullitate alienacionis  
hacreditatis absentis ante tempus legitimum a car-  
tore factae.*
23. <sup>2</sup> Stroeker, Cas. Wilhelmi: *De fiducicommisso sub  
clausula: quicquid post mortem superfuerit, relicto.*  
24. <sup>2</sup> Stroeker, Dr. Philippus, Facult. iur. & eccl. decanus (ad orationem  
litaniam in agno (Iohannes Gottlieb Bauri) invitatus.
25. Stroeker, Dr. Philippus, Facult. iur. & eccl. decanus: . . .  
ad orationem in agno (Christiani Gottliebii Helleghii)  
invitatus.
26. Stroeker, Dr. Philippus, Facult. iur. & eccl. decanus . . .  
ad orationem in agno (Christiani Jacobi Leberecht  
Goedelii) invitatus
27. Fock, Hermanus Petrus: *De obsoletia statutorum  
municipalium in municipalibus non probando.*

4323  
1735, 21a 22  
**DISSE<sup>T</sup>AT<sup>O</sup> IN AVGVRALIS JVRIDICA,  
DE.  
FIDE & LEGALITATE  
MEDICI IN INVESTIGANDA  
VULNERVM LETHA-  
LITATE,**

RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,  
ET  
FACVLTATIS JVRIDICÆ P. T. DECANO,  
**DN. TOBIA JAC. REINHARTH,**  
JCTO, RELIQUA,  
INCLVTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ  
ERFORDIENSIS  
CONSENSV ET AVCTORITATE,  
SVB PRÆSIDIO  
**DN. CONRADI WILH. Strecfers,**  
JCTI, JVRIDICÆ FACVLTATIS ET JUDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, PROFESSORIS PYBLICI, CIVITATIS ERFORDIENSIS  
STNDICI ET CONSVLIS,  
PRO GRADV DOCTORALI  
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDO,  
PYBLICE DEFENDET  
AVTOR  
**HENRICVS GOTTLIEB JACOBS,**  
Gothanus.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI  
DIE XXIX. MARTII, M DCC XXXV.

ERFORDIÆ, Typis HERINGII, Acad. Typogr.

Dilectissimaq[ue] Universitatis Iuridicay  
H[ab]EAT E[st] ET H[ab]EAT A[cc]ORDA  
M[od]IC[us] IN IURISCIENCE  
A[cc]ORDI[us] M[od]IC[us] F[ac]TUM  
L[et]T[er]IA  
RECTORI UNIVERSITATIS MAGDEBVRG  
IACOB[US] FREDERICVS D[omi]NVS  
D[omi]N[us] IOHAN[ES] REINHARD[us]  
INCIPIT LIBERALITATIS IURIDICAE  
ERGOTIDIENSIS  
CONSERVAT[us] ET A[cc]UTORITATIS  
SIB[us] T[em]POR[is] 1515  
D[omi]N[us] CORNARI[us] MATH[ew] GEORG[ius]  
PROGRADIA DOCTORALIS  
H[ab]EAT GOTT[us] JACOB[us]  
BAVARI[us] Q[ui]O[rum] LIBERALITATIS  
MAGDEBVRG



Q. D. B. V.  
DISSERTATIONIS JVRIDICÆ INAVGVRALIS  
DE  
FIDE ET LEGALITATE  
MEDICI IN INVESTIGANDA  
VULNERVM LETHA-  
LITATE

§. I.



Eges divinas aequæ ac humanas  
homicidam dolosum ultiore ferro  
persequi, neminem nisi omnium  
rerum ignarissimum latere  
potest. Quemadmodum vero,  
si capitîs poena affici debet hu-  
jus delicti reus, duo requiruntur  
1) dolus, sive propositum ac voluntas alterum interficiendi, l. 1. §. 3. ff. ad L. Cornel. de sciar. l. 7. § 16. ff. eod.  
Conf. GERHARD. NOODT. probabil. Jur. Civil. lib. IV.  
l. VII. § VIII. CARPOZOV. Pr. Rer. Crimin. P. 1. qu. 1.  
etiam

A 2

§ 3.

§ 3. nec non 2) mors ex facto contra vitam alterius sponte suscep<sup>t</sup>o NECESSARIO secuta: vid. STRYCK. *in usu Mod. ff. tit. de privat. delict. §. 9.* CORNEL. VAN BYNCKERSHOEK. *Observat. Jur. Rom. lib. 3. c. 10.* ita, ut de posteriori cumprimis requisito liquido appareat, in qualitatem vulneris, utrum sit *Lethale*, nec ne, sedulo inquiri, eumque in finem legitima ejus inspectio à Medicis & Chirurgis juratis fieri debet. CARPOV. *Pr. rer. crimin. P. 1. Qu. 26.* BRVNNEMANN. *de Process. inquis. c. 7. n. 16. scqq.* Qua in re quomodo versari oporteat Medicum, si fidem suam ac legalitatem judici probare velit, loco speciminis Inauguralis aliquanto plenius expōnere in animum induxi.

## §. II.

Quamvis autem non ignorem, esse quosdam JCTos haud incelebres, quibus isthac de lethaliitate vulnerum necessariò investiganda opinio erronea, & à juris ratione aliena videtur, ratis, ordinariam homicidii pœnam indificriminatim locum habere, sive laſio alteri illata absolutam moriendi necessitatē post se traxerit, sive morti solum causam præbuerit. Conf. BODINI *dissert. de non requirenda letalitate vulnerum habit.* Hal. 1703. juncto Programmate s. STRYKII *Wittebergii Anno 1691.* publicato, quod integrum ferè recenset VALENTINI *in Pandectis Medico legal. Part. II. Prolegom. p. 289. sequ.* argumenta tamen, quæ pro stabilienda hac sententia adferuntur, infirmiora sunt, quam ut convellenda doctrinæ communi, ipso usu & praxi judiciorum fatis

satis comprobatae, queant sufficere. Quando enim incertitudinem rei, infinitasque Medicorum inter se de lethalitate vulnerum dissensiones objiciunt; commode reponi posse videtur, Medicorum de vulnerum qualitate praecepta persæpe non adeo vaga esse ac lubrica, quin exactum de iis judicium certisque rationibus subnixum ferri queat; quod si vero eveniat, ut Medici circa renunciationem vulnerum lethalium inter se discrepent, ponderandas esse rationes, in utramque partem adductas; posse quoque rem eo in casu tertii cuiusdam arbitrio committi, & quamvis ista dispœctio nonnunquam difficillima ac tantum non impossibilis appareat, dandum tamen tunc aliquid esse humanæ imbecillitati, nihilque peccare judicem, sive ob renunciationem vulneris lethalitatem, de qua forte dubium adhuc supereft, pœnam ordinariam vulneranti dictitet, quod ipsi etiam dissentientes volunt, sive ob negatam à Medicis lethalitatem pœna extraordinaria illum adscendum esse pronunciet, præsertim cum eum, qui mortem promeruit, lenius coercere, quam qui non promeruit, ad supplicium rapere, satius sit.

## §. III.

Regerunt quidem ulterius contrariae sententiae patroni, jure nec divino nec humano decantatam illam lethalitatis vulnerum indagationem præceptam, sed ea insuper non habitâ, capitâ pœnam in homicidas dolosos statutam esse. At vereor, ne in probatione hujus asserti deficiant. Utut enim in saeris Pandectis expressè

A 3

ac

ac conceptis verbis nihil de ea dispositum reperiatur: quia tamen sanctissimum Numen vulnerantem non ob quacumque vulnerationem, quæ occasionem morti, ex aliis fortean causis per accidens insecuræ, præbuit, ultimo supplicio puniri jussit, sed talem demum percussionem, unde homo mortuus est, morte expiandam voluit, *Exod. XXI. v. 12.* hinc ultiro consequitur, inspectionem aliquam vulneris instituendam esse, cum sine ea, utrum homo Iesus ex vulnera perierit, nec ne dijudicari nequeat. Add. BARTHII *Hodeg. Forens.* c. 6. §. 6. p. 877. n. 2. Jus Romanum vero quod attinet, in eo frequentissime inter vulnera mortifera & non mortifera distinguitur, v. l. II. §. 3. l. 15. §. 1. l. 30. §. 4. l. 36. §. 1. ff. ad l. *Aquil.* & in primis à *JVLIANO* in l. 51. pr. ff. d. *tir.* notanter definitur; non illos solum occidisse videtur, qui ita vulnerassent, ut confessim vita privarent, sed etiam eos, quorum ex vulnera certum esset, aliquem vita excessurum. Nec juvat dissentientes, textus allegatos de reparatione damni, per vulnerationem aut occisionem servi dati, tantummodo agere, ac propterea locum habere vix posse, ubi de vindicta publica & irogatione poena capitalis ob hominem occisum quæstio sit. Enimvero si vulnera mortifera seu lethalia à non mortiferis sive non lethalibus tam sollicite secernenda sunt, quando de damno pecuniario resarciendo ac poena civili solum agitur: multo magis ad illud discriminem respiciendum erit, ubi poena ultimi supplicii inferri cuiquam debet. Evidenter vero de isthac vulnerum inspectione & renunciatione in ordinat.

*nat. Crim. Carol. art. 147. & 149. cautum est, adeo ut de ejus necessitate adhuc dubitare velle absolum videatur.*

**S. IV.**

Nec majoris ponderis sunt, quæ doctrinæ communi à seculis sentientibus præterea opponi sueverunt, dum modo astutiam judicum, qui reo faventes id agunt, ut necessaria quedam in inspectione omittantur, & ita reus à poena homicidii ordinaria absolvatur, modo calliditatem Advocatorum, inspectionem & renunciationem vulnerum variis subinde ex causis impugnantium, non alio fine, quam ut dubium reddatur homicidium ac proinde poena ordinaria in arbitriam mutetur, modo denique inconcinnitatem sententiae hujus communis objiciunt, eo quod inspectionis necessitas illo quoque in casu, ubi vulneratus illico mortem oppetiit, urgeatur, eaque omisâ, vel non rite factâ, poenam extraordinariam solum infligendam esse contendatur, quamvis cum ratione vix ambigi possit, quin Iesus ex accepto vulnere occubuerit. Verum enim vero, cum haec & similia partim inter abusus, quos cordatores merito damnant, referri debeant, partim hoc ad summum tantummodo evincant, quod in certis quibusdam ac specialibus casibus inspectio non necessaria sit, hinc quam nullam ista vim consequentiae habeant, nemo non intelligit. Planè abusus, qui hec & nunc observantur, institutum in se optimum haudquaquam viriant, aut illegitimum efficiunt. Et

si vel maxime concedamus, in specie proposita vulneris Inspectionem & renunciationem minime desiderari, sed ea quoque neglecta capitis poenam nihilominus posse irrogari, quam sententiam cumprimis tueruntur BRVNNEmann. de Process. Inquis. c. 7. n. 20. HERT. de inspect. ocul. §. 17. KRESS. ad Conf. Crimin. Carol. art. 147. n. 2. p. m. 319. WERNHER. P. 3. obs. 152. & P. 4. obs. 4. alii, quamvis & rationibus non levibus dissentiant CARPZOV. Pr. Rer. Crim. P. I. qu. 26. n. 46. BARTH. in Hodag. Forens. r. 6. §. 6. p. 877. n. 1. nec non ex Medicorum ordine VALENTINI in Pandect. Medico-Legalib. P. II. Sect. I. §. 8. p. 296. itemque BOHNIVS in Exam. vulner. lethaliu. Sect. I. c. 3. p. 63. & 64. inde tamen inferre non licet, quod extra hunc casum Inspectione & renunciatione vulnerum in genere opus non sit, cum à particulari ad universale non procedat illatio.

## §. V.

Ostendimus hucusque, ne supervacanea censeatur nostra tractatio, inspectionis & explorationis vulnerum in casu homicidii commissi necessitatem. Nunc igitur ad thematis propositi explanationem proprius accessu. ris ante omnia expendendum videtur, quisnam proprie sub appellatione Medici hoc loco intelligatur. Quamvis enim alias eo nomine veniant omnes, qui in universum salutis hominum curam agunt, l. r. §. 1. ff. de Extraord. cognit. eorumque non modo sanitatem aptis & naturae convenientibus remediis provide conservare, sed & si eadem per variis generis morbos labefactur,

tur, naturæ aberranti, vel externam cooperationem desideranti, ceu Ministri ejus, dextrè succurrere norunt: quia tamen etiam illi nonnunquam Medicorum nomine insigniuntur, qui tantum alicujus partis corporis vel certi doloris sanitatem pollicentur, utputa si auricularios, si fistulæ vel dentium, *i.e. §. 3. ff. de Extraord. cognit.* itemque qui corporis humani lassiones ac vulnera ligare curareque inprimis didicerunt, quales olim *Medicos vulnerarios seu vulnerum Medicos*, nec non *Medicos chirurgos dictos esse*, appositè observat HEINECERVS, vir celeb. in *Syntagma Antiquit. Rom. lib. 1. tit. 25. §. 19.* Add. BRISSONII *Select. Antiquit. lib. 2. c. 4.* Hinc nobis non improbabilis videtur eorum sententia, qui specialiorem hunc vocis *Medici* significatum respicientes, chirurgum eo nomine heic potissimum subaudendum esse existimant. Talis quippe cum frequenter curam habeat vulnerum, &, que sit eorum tractatio ac regimen, quotidie fere experiatur, præ ceteris idoneus atque habilis esse videtur, ut solidum de eorum qualitate judicium ferre queat, præsertim postquam Chirurgia à Medicis clinicis successive & tantum non omnimode neglecta, & solis barbitonsoribus relata fuit, conquerente desuper BOHNIO in *Medicin. forens.* *Spec. 1. §. 22.* Quare & in *Ord. Crim. Carol. art. 147. §. 149.* disertis verbis tantum chirurgi, Wund-Aerzte, nulla facta alias Medici mentione, in *ORD. PROCESS. SAXO-GOTH. P. 3. c. 2. §. 1.* disponitur, quod peritus barbitonsor, aut balneator, ein genugsam verständiger und erfahrner Barbierer oder Bäder, nulla iterum alias

Medici mentione injectâ adhiberi debeat. Unde etiam CARPZOVIUS in *Pr. Rev. Crim. P. 1. qu. 26. n. 36. 37.* non sine fundamento putat, solis barbitonforibus, modo sint periti & rationem judicij sui dare possint, fidem habendum, eorumque arbitrio de vulnerum lethalitate standum esse. Add. GAIL. l. 2. *Obser. CXI. n. 12.* KRESS. ad Ordin. Crimin. Carol. art. 147. n. 3. p. 321. HERT. de Inspect. ocul. §. 28.

### S. VI.

Evidem non ignoro, ab hâc, quam modo retuli, sententiâ nonnullos discedere, dum vel barbitonfores & balneatores ad vulnerum inspectionem planè non admittendos esse autumant, v. STRYK. *de jure sens. disp. 1. c. 2. n. 19.* WELSCH. *in ration. vulner. lethal. judic. c. 15. p. 136.* BOHNIVS in *Exam. vulner. lethal. scit. 1. c. 1. p. 6.* vel in subsidium saltem, si Medicorum copia non detur, solos Chirurgos adhiberi posse arbitrantur. Conf. VALENTIN. *Pandect. Medico-Legal. P. 2. Sect. 1. §. 2. p. 294.* ALBERTI *Jurisprud. Medic. c. 17. §. 13. p. 380.* Verum enim vero sicut illi de barbitonforibus & balneatoribus imperitis, atque nec in Anatomia, nec Chirurgia probè exercitatis expressè loquuntur, quales ab inspectione & dijudicatione vulnerum removendos esse ultro concedimus, ita hi commode explicari posse videntur de casu, ubi legibus provincialibus cautum, aut moribus receptum est, ut præter Chirurgum etiam Medicus sectioni cadaveris interesse debeat. Planè cum hoc nostro ævo ac pro statu præsenti barbitonfores

res & balneatores non solum Anatomiam plerumque negligent, sed & non raro genuinæ chirurgiæ principia strenue ignorent, ita, ut, judice WELSCH. c. l. vix centesimus eorum in anatomia & cadaverum sectione solidi quidquam sapiat. Hinc, ne quid dissimilem, pluribus in locis constitutionis Criminalis sensus paullisper temperatus & jure vel scripto vel non scripto introductum est, ut tam arduum negotium illis solis non committatur, sed simul expertus etiam Medicus & qui-dem à Facultate Medic. examinatus & promotus, atque adeo publico eruditio[n]is atque doctrinæ testimonia instruc[t]us adhibeatur. HERT. cit. §. 28. § 30. Quid quod in multis Germaniæ regionibus munus isthoc, vulnera occisorum inspiciendi & de eorum lethaliitate statuendi certis quibusdam Medicis ac Chirurgis publica auctoritate demandatum est, quorum illi Stadt-, vel Land- Physici, nomine ex antiquo retento, cum Medicina quondam ad Philosophiam & imprimis Phy-sicam, teste Dn. de LYDEWIG. in Prefat. T. II. Consil. Ha-lens. P. 25. n. 124. relata fuerit; hi vero Herrschaftliche Barbierer, Stadt- Chirurgi, Amts- Barbierer, vocari consueyunt. Qualia instituta uti in se, ceteris paribus, haudquaquam improbanda sunt, & cum primis etiam eo conducunt, ut Advocatis, homicidae defensio-nem suscipientibus, de inhabilitate Medici aut Chirur-gi, qui Sectionem peregit, excipere non facile liceat: ita, ubi semel invaluerunt, in iis Jure meritoque ac-quiescendum est.

ad hanc

## §. VII.

Proximum est, ut, quā ratione ipsa inspectio vulneris legaliter fieri debeat, dispiciamus ubi quidem sanguinatim expendisse juvat, quānam 1) ante sectionem, & vulneris inquisitionem, nec non 2) quā in ea, & tandem 3) quā post eam observanda sint. Quod igitur 1) ad actus inspectionem vulnerum antecedentes attinet, cum primis necesse est, a) ut Chirurgus, vel etiam unā, secundum cujusque loci consuetudinem Medicus, a judice ad instituendam vulnēris indagationem, legitimate fuerit requisitus, ne iste vel isti proprio ause se obstruisse & non vocati aut denominati judicium suum deposituisse videantur, consequenter instar testium semetiplos ingerentium suspecti fiant. Conf. MYNSING. Cent. IV. Observ. 3. ALBERTI Jurisprud. Medic. c. 17. §. II. p. 378. & 379. b) Ut Chirurgus, vel etiam simul Medicus, juramento ad hunc actum constringantur. vid. Ord. Crim. Carol. art. 149. ubi: Die denn zuvor dazu beydiget werden sollen. iunct. art. 147. zu Zeugen gebracht werden. Testi enim injurato fidem non haberi, tralatitium est. l. 9. Pr. C. de Testib. c. si. X. de Testib. & attestat. Neque tamen ubique requiritur, ut ante, quam inspectio suscipiatur, juramentum præstetur, sed sufficit interdum, si ille, qui sectionem expedivit, ex intervallo juret, se ita existimare juxta regulas artis suæ, prout quidem deposituit. vid. ORD. PROC. SAXO-GOTH. P. 3. c. 2. §. 1. ubi: und dergestalt, wie er es auf ferneres Begehrē eydlich zu erhalten getrauet, aussagen. Imo si publi-

publica auctoritate certi Medici aut Chirurgi constituti,  
 & sub jurisjurandi religione assumti sint, v. §. præced.  
 tunc denuo ad singulos inspectionis actus specialiter  
 jurare non tenentur, cum vis juramenti ab initio offi-  
 cii præstiti ad omnes actus sese extendat, KRESS. ad Or-  
 din. Crim. Carol. art. 149. n. 3. p. 331. CARPOV. Pr. Rer.  
 Crimin. P. 1. qu. 26. n. 40. sequ. STRYK. in usu Mod. ff. ad  
 L. Cornel. de seccar. §. 2. & nec judex Medicum Chirur-  
 gumve requirens, nec Advocatus rei defensionem in se  
 fuscipiens, ad singulos actus jurati sint, WELSCH. in ra-  
 tional. vuln. lethal. jud. c. 15. p. 133. Qua ratione moti  
 quidam non inepte censuerunt, sufficere etiam jura-  
 mentum à Medico in actu promotionis ad dignitatem  
 doctoralem præstitum, modo scilicet in Academia, ubi  
 promotio facta, juramenti formula ita concepta sit, ut  
 actus sectionis inspectionisque sub se complectatur. v.  
 KRESS. c. l. atque in hunc modum Facultas Juridica  
 Viadrina non solum, referente STRYKIO de jur. sens.  
 disert. I. c. 2. n. 32. pronunciavit, sed & Facultas Juridi-  
 ca Hallensis respondebit, in Conf. II. For. Halensi. T. 1. lib. I.  
 Conf. 9. n. 8. quamvis in Camera nec non in diæsteris  
 Würtenbergicis talia juramenta generalia haud qua-  
 quam sufficient, sed ordinationi Criminali paulo pres-  
 fusi insitstatur teste HERTIO de Inspect. ocul. §. 32. Add.  
 ALBERTI Jurispr. Medic. c. 17. §. 13. in f. Præterea c.)  
 opus esse videtur, ut Sectionem instituturus in varias  
 primum circumstantias, ad vulneris qualitatem & con-  
 ditionem rite estimandam aliquid conferentes, veluti  
 in vulnerati atatem, constitutionem, diætam, deinde

in litis occasionem, armorum genus & qualitatem, læsionis modum, chirurgorum adhibitorum solertiam, mortis tempus, & similes, inquirat, cum ex ipsis non inquire ulterius judicium sape oriatur, tradente WELSCHIO in rat. vuln. lethal. judic. c. 15. p. 137. & 138. VALENTIN. in Pandect. Medico-Legal. P. 2. Sect. I. §. 5. p. 95. ALBERT. in jurispr. Med. c. 17. §. 16. p. 383. Tandem etiam d) Medicis ubi forte interveniunt, vel etiam ipsi Chirurgi sedulo cavere debent, ne quis ante sectionem occisi cadaveris stylo seu instrumento quodam ferreo vulnerum profunditatem emetiatur, cum viscera interna eo modo facillime lœdi & postmodum error in renunciando committi possit. Comp. VALENTIN. c. 1. BOHN. de renunc. vulner. lethal. I. Sect. I. p. 11. 12.

### §. IX.

Actus antecedentes, de quibus modo differuimus, sequitur 2) ipsa sectio, vulnerisque inspectio, quæ, si legaliter fieri debet, instituenda est a) in præsentia judicis, duorum Scabinorum & Actuarii, secundum ordinationem Criminalem Carolinam art. 149. ubi: Der Richter same zweyen Schöppen, dem Gerichts-Schreiber ic. juxta ordinationem PROCESSYS SAXO-GOTHICÆ vero P. 3. c. 2. §. 1. in præsentia saltem duarum personarum judicialium, Beyfum zum wenigsten zweyer Gerichts-Verwandten. Licet autem BEYERVIS in delineat. Jur. Crimin. ad art. 146. sqq. post. 16. p. 187. existimet, hoc ipsum hodie necesse non esse, postquam Medicus &

Chi-

Chirurgus scriptum de vulnerum qualitate attestatum ad acta exhibere soleant: vereor tamen, ne hac in parte error concurrere possit. Etenim inspectio hæc ad inquisitionem judicialem sine dubio pertinet, ejusque pars est apprime necessaria, præsertim cum judicem de præcipuo future sententia fundamento certiore reddat, &, quod nihil aut odio, aut favori datum sit, confirmet. Accedit, quod judex, quem non minus pro defendendo, quam onerando reo sollicitum esse oportet; eo etiam allaborare debeat, ut actus hic arduus ac summe præjudicialis sine tumultu peragatur, nec forsitan ab aliquo ex adstantibus & plerunque adjuvantibus studiosis vel aliis, inter secundum nobilior quædam pars corporis vel vena incaute lœdatur aut incidatur, & ita vulnera magis efficiantur, quam detegantur, prout recte judicarunt CARPOZIVS in *Pr. Rer. Crimin. P. I. qu. 26. n. 30. sqq.* KRESSIVS ad *Ord. Crim. Carol. art. 149. n. I. p. 330. & 331.* BARTHIVS in *Hodeg. Forens. c. 6. §. 6. in not. lit. a. p. 877.* Tandem in *ORDIN. PROCESS. SAXO-GOTH. c. I.* præfecti & iustitiarii omnes circumstantias memorabiles in inspectionis actu occurrentes literis consignare expressis verbis jubentur, ac proinde ratio à BEYERO allegata penitus concidit. Deinde sectio & inquisitio in qualitatem vulneris fieri debet b) tempestivè, & quidem juxta ordinacionem *Crim. Carol. art. 149.* ante sepulturam vor dem Begräbniss, juxta *ORD. PROC. SAXO-GOTH. c. I.* sine ulla mora, unverzüglich. Si enim defuncti cadaver putredine jam corruptum est, totum inspectionis negotium du-

biuum

bium manet, nec vero læsionis & vulneris qualitas investigari amplius potest. Unde non imprudenter clericis quibusdam in locis injunctum est, ut ne patiantur cadavera violentâ morte defunctorum sepeliri, nisi prævia justitiae inspectione, referente HERTIO de inspect. ocul. §. 17. Neque tamen præcise septem horas à tempore mortis elapsas esse oportet, antequam sectio instituatur, cum pro ratione tempestatis, corporis defuncti, aliarumque circumstantiarum cadavera mortuorum modo citius, modo tardius putrefactare incipient, rectè advertente ALBERTI in *Jurisprud. Medic. c. 17. §. 14.* p. 381. Quod si vero cadaver occisi ex incuria aut negligentia terra jam mandatum sit, illud, si recens adhuc & nondum putrefactum, effodi iterum & inspici adhuc debet. BRVNEMANN. de Process. Inquis. c. 7. n. 30. VALENTIN. in Pand. Medic. Legal. P. 2. Seßt. I. §. 6. p. 296. quinimo si inspectio ante sepulturam quidem facta, at non rite peracta fuerit, idem dicendum, ac cadaver è tumulo erutum denuo sectioni submitendum esse putat, & præjudicio confirmat BEYER. in Posit. ff. ad L. Cornel. de secur. n. 5. lit. n. p. 668. in f. Neque porro c) Loci opportunitas negligenda est, cum sectio instituenda veniat, in loco lucido, nimirum spectatorum præsentia non obscurato, ne forte quicquam legitimæ læsionis investigationi impedimento sit, comodiè monente ALBERTI in *Jurisprud. Med. c. 17. §. 15.* p. 382. Denique d) ratione modi observari meretur, sectionem atque inspectionem vulneris summa cum diligentia & circumspectione expediendam esse, ita ut omnes

omnes ictus, iactus, ac lœsiones exactissime exploren-  
tur & annotentur, v. *Ordin. Crimin. Carol. art. 149.* ubi:  
Mit Fleiß besichtigen, und alle seine empfangene Wunden,  
Schläge und Würfe, wie der jedes funden und ermesset  
würde, fleißig mercken und verzeichnen lassen. Add. ORD.  
PROC. SAXO-GOTH. P. 3. c. 2. §. 1. ubi: eigentlich und  
überall besichtigt werden. Quo pacto vero, ubi ipsa  
manus admovenda est, circa vulneris abstersionem,  
longitudinis, latitudinis & profunditatis exploratio-  
nem ipsius cadaveris aperturam, tractationem & oc-  
clusionem procedi debeat, & quibus præcise instrumen-  
tis utendum sit, illud, cum Medicæ solum sit contem-  
plationis, consulto jam prætereo. Interim vide sis  
WELSCHII *Ration. vulner. lethal. jud. c. 15. p. 138.-140.*

## §. IX.

Factam vero legalem ac sufficientem vulnerum  
inspectionem & inquisitionem tandem 3) excipit re-  
latio & judicium inspectorum super eorum qualitate,  
in qua relatione formanda ita illi versari debent, ut,  
a) ipsam lœsionem, prout eandem deprehenderunt,  
cum omnibus circumstantiis ordinate ac perspicue in-  
dicent atque describant, deinde b) de ejus lethaliitate  
aut non lethaliitate statuant quidem ita, ut iis nec ni-  
mia temeritas aut audacia, nec nimia timideitas aut  
tergiveratio jure exprobrari possit. Illò quippe in ca-  
su efficiunt, ut insons occidatur, hoc autem ut noens

C dimit-

dimitatur, quorum utrumque grave & cum publicæ utilitatis dispendio, nec non propriæ conscientiæ læsione conjunctum est, VALENTIN. in Pand. Med. Legal. P. 2. Sect. 1. §. 10. p. 297. Hinc quamvis Medici alias inter vulnera *absolutè* sive *semper lethalia*, quæ omnem curationem simpliciter respuant, & ex quibus necessario mors sequi debet, ac *communiter* sive *ut plurimum lethalia*, quæ raro vel rarissime curari solent & ex quibus plerumque mors oritur, & denique *per accidens lethalia*, quæ in se non adeò difficulter sanari queunt, & tantum per accidens, veluti ob malum vulnerati regimen, aut Medici & Chirurgi imperitiam, mortis causam præbent, distinguere soleant; & ab his iterum vulnera *insanabilia*, quæ sèpè lethalia haud sunt, ut ut medelam effugiant, nec non *periculosa* quæ in vita quidem discrimen vulneratum adducunt, sèpissime tamen feliciter curata sunt, sollicite secernant, V. ALBERTI Jurisprud. Med. c. 14. §. 6. & 8. p. 281. seqq. BARTH. Hodog. Forens. c. 6. §. 32. in not. tit. 1. p. 989. seqq. vix tamen opus esse videtur, ut Inspectores vulnerum omnes ac singulas hasce vel similes distinctiones nimis anxie consequenter verum subsistere illi possint in simplici hac vulnerum partitione, quod alia sint *per se* *lethalia*, alia *per accidens*, ita tamen ut lethaliatem non in abstracto, sed in *concreto* aestiment, atque respiciant, consequenter vulnera *per se* *lethalia* renuncient, quæ huic in specie subjecto vulnerato, habita ratione ejus etatis, sexus, constitutionis, aliarumque, circumstantia-

rum

rum, (de quibus copiosissime edisseruit ALBERTI c. i.  
 §. 9. seqq. p. 283. seq.) necessario necem attulerunt; li-  
 cet fortè aliis robustior exinde mortuus haud suisset,  
 COCCEJVS in jure Controv. Civil. tit. ad L. Aquil. qu. 6.  
 BOEHMER. Consult. ac Decis. T. II. decis. 1164. n. 6. ex con-  
 trario autem vulnera per accidens lethalia declarant, quæ  
 nec huic individuo, quod læsum est, mortem necessa-  
 riò accelerarunt, utpote quæ ob imperitiam Medici  
 aut Chirurgi, in consueta & minus essentialia sympto-  
 mata, malum vulnerati regimen, similesque causas ac-  
 cidentales solum infecuta est. De cetero in æstiman-  
 da hac vulnerum lethalitate aut non lethalitate, ad  
 tempus, quo decessit vulneratus, tuto respici non pos-  
 se arbitramur, ita scilicet, ut si is intra tres, quinque  
 vel septem dies ab accepto vulnero obierit, ex vulne-  
 re necessario periisse, sin post longum tempus occu-  
 buerit ex vulnero haud interiisse existimandus sit.  
 Nam infinita vulnerum genera, variaque individuo-  
 rum constitutio & natura impediunt, quo minus unus  
 idemque mortis terminus in universum determinari  
 habetens queat. vid. KLEIN de diebus criticis c. 2. § 3.  
 Postremo c) requiritur, ut vulnerum Inspectores cau-  
 sas quoque subjiciant, quibus permoti pro lethalita-  
 te vel non lethalitate lesionis pronunciarunt. v. ORD.  
 PROC. SAXO-GOTH. P. 3. c. 2. §. 1. ubi: und was er für  
 Gründe seiner Meynung hat. Quemadmodum enim in  
 genere depositio testis nullam fidem meretur, nisi is  
 dicti sui rationem sufficientem indicaverit, adeo, ut te-  
 sis

His absque ratione deponens non ut homo, sed ut pecus deponere dicatur CARPZOY. Pr. Rer. Crim. P. 3. qu. 114. n. 62. BRVNNQVELL de ratione dicti Test. §. 2. sequ. ita multo magis in tam gravi tamque momentoso negotio, quale heic peragitur, necesse est, ut dicta testimonia, qui eidem intercesserunt, certo stabilique iudicio nitantur.

## §. X.

Sed quia interdum, experientia teste, contingit, ut vel Medicus, vel Chirurgus, vel etiam uterque, judicium suum de qualitate vulneris, utrum lethale sit, nec ne, ob concurrentes circumstantias difficiles valde impeditus, expromere nolit, sed rem peritioribus, vel toti alicui Facultati Medicæ committendam esse censeat: Hinc quæstio exsurgit, an talis nihilominus invitus cogi possit, ut relationi sue de vulnere ipso judici exhibitaæ adhuc subiectat; quid sibi de ejus lethalitate videatur? ubi quidem pro affirmativa militat, quod Inspectio vulneris non alio fine, quam ut judici de ejus conditione & lethalitate vel non lethalitate certo constare possit, instituta sit; ac propterea is, qui ad requisitionem judicis eidem interfuit, omniaque coram oculis suis contemplatus, omnia manibus percontatus est, non magis testimonium, quam alias testis, detrectare queat. Verum enim vero his rationibus non obstantibus contrariam sententiam merito

ante-

anteponendam esse arbitrör, partim quoniam in Ord.  
Criminali Carolina hac de re nihil conceptis verbis di-  
spositum, sed Chirurgis solum in art. 149. injunctum  
est, ut omnia vulnera, verbera, iictus, curiose obser-  
vent, & annotent, partim, quoniam testes quidem ad  
testimonium de facto controverso, quod ipsi viderunt  
& audiverunt, ferendum cogi queunt, nemo autem  
id quod sentit, aliorum examini sape iniquo invitus  
subjicere tenetur, partim, denique, quoniam hoc in ca-  
su alii peritiores non desunt, qui super vulneris quali-  
tate consuli, eorumque judicium exquiri potest. Et  
licet in ORDIN. PROC. GOTH. P. 3. o. 2. §. 1. cautum  
sit, Chirurgum rationes etiam suæ sententiae judiciali-  
ter explicare debere vi. §. præced. ibidem tamen ejus-  
modi speciem præstrui, ubi barbitonfor judicium suum  
de qualitate vulneris ulro jam exposuit vel exponere  
paratus est, nemo non videt.

### §. XI.

Superefst, ut de effectu rite & legaliter facta inspec-  
tionis eamque infecuta renunciationis vulnerum pau-  
cissimis adhuc edisseramus. Quod si ergo Medicus se-  
cundum ea, quæ hucusque diximus ubique, egerit, for-  
mamque in ordinatione Carolina aut alias jure pro-  
vinciali prescriptam vel moribus comprobatam exa-  
cte observaverit, tunc certe ejus depositioni de vulne-  
rum qualitate & conditione regulariter plena fides ha-  
bitur.

betur. Quemadmodum enim in genere cuilibet perito in arte sua creditur, l. i. pr. ff. de inspic. ventre. & ibi GOTHOFR. lit. m. MYNSINGER. cent. 6. observ. 34. ita etiam Medicorum asserto sine dubio standum est c. significati. 18. X. de homicid. volunt. vel casu. adeo ut etiam unius sive Medici, sive Chirurgi jurati artisque sue perpetrati attestatum, si plurium non detur copia, plene probandi vim habeat. V. Ordinat. Crim. Carol. iuri. 149. ibi enim oder mehr Wund-Aerzten, so man die haben, und solches geschen kan. ORDIN. PROCESS. SAXO-GOTH. P. 3. c. 2. f. 1. ibi: eines gnugsm verständigen und erfahrenen Barbiers oder Baders. MYNSINGER. cit. observ. 34. n. 6. 7. GAIL. l. 2. observ. CXL. n. 4. seqq. HORN. de probat. ple- na per unum testem c. 2. thes. 27. nisi per Leges provin- ciales aliud obtineat, & plures uno præcise requiran- tur, qualia exempla refert. HERT. de inspect. ocul. §. 29. Add. BEYER. post. ff. Tit. ad L. Cornel. de sicar. n. 5. in not. lit. n. Hinc sicut in genere judex, à peritorum in arte judicio sine gravissima causa recedens injuste juxta ac imprudenter, imo contra conscientiam suam facit, atque sinistra opinione semet onerat, ut injustam di- xisse sententiam, eumque, contra quem talem senten- tiam peritorum judicio adversam pronunciavit grava- se præsumatur, docente MEVIO P. 2. Decis. 261. n. 7. 8. ita etiam in casu homicidii commissi judex regulariter secundum Medicorum depositionem & renunciatio- nem sententiam ferre pœnamque homicidae dictare te- netur. Etenim si Medici sive Chirurgi afferant vulnus inflictum

inflictum lethale fuisse, ex eoque vulneratum necessario obiisse: reus ad poenam mortis condemnatur. Si vero Medici contrarium deponant, & vulnus mortiferum fuisse negent, consequenter vulneratum vel ex malo regimine vel ex symptomate, aliave causa accidentali decessisse censeant: poena solum extraordinaria vulneranti dictitari solet CARPZ. Pr. Rer. Crimin. P. 1. qu. 26. n. 44. seqq.


## §. XII.

Neque tamen temere existimandum est, abscisse semper & indiscriminatim Medicorum aut Chirurgorum judicio standum esse, ita, ut nulla penitus in contrarium probatio admittenda sit. Nam quod Pontifex in c. 14. X. de probat. de obstetricibus ait, illarum saepe manus falli & oculos, illud sane non injuria etiam ad Medicos & Chirurgos quodammodo applicari potest. Hinc si reus, ejusve defensor in defensione sua contrarium, vulnus scil. non fuisse lethale probare velit, utique audiendus est CARPZ. pr. Rer. Crim. p. 1. qu. 26. n. 47. eoque in casu relatio à Chirurgis aliisve Medicis exhibita ad Facultatem aliquam Medicam ut plurimum transmitti, ejusque judicium desuper exquiri solet, quæ, si vulnus, quod isti lethale esse existimarunt, non lethale esse, ex probabilioribus & firmioribus argumentis adstruat, in hoc judicio judex merito acquiescit, & tunc sententia prior, quasi ex falsis instrumentis lata, retractatur.

CARPZ.

CARPZ. c. 1. GAIL. l. 2. Observ. CXI. n. 1b. sqq. MYNSING.  
 cent. 6. Observ. 35. Ne tamen in infinitum sententia-  
 rum retractatio concedatur, ultra duas vices eam non  
 permitti monet STRYCK. in usū Mod. ff. ad L. Cornel. de  
 sciar. §. 4. in fin. Verum ne limites mihi propositos  
 in præsentia transfiliam, plura nunc addere superfldeo,  
 ac de cætero DEO Ter Optumo Maximo pro infinitis  
 in me hucusque collatis beneficiis submissas gratias ago,  
 & ut in posterum quoque mihi clementissime  
 adesse velit, devote contendeo.

## F I N I S.







*Ernst, Diss., 1735*

**ULB Halle**  
005 367 840

3





8						
7						
6						
5						
4						
3						
2						
1						
Centimetres	1	2	3	4	5	6
Inches	1	2	3	4	5	6

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



4023  
1735, 21a  
22  
i  
DISSESSATIO IN AVGVRALIS JVRIDICA,

DE  
**FIDE & LEGALITATE  
MEDICI IN INVESTIGANDA  
VULNERVM LETHA-  
LITATE,**

QVAM  
RECTORE VNIVERSITATIS MAGNIFICO,

ET  
FACVLTATIS JVRIDICÆ P. T. DECANO,

**DN. TOBIA JAC. REINHARTH,**

JCTO, RELIQUA,

INCLVTÆ FACVLTATIS JVRIDICÆ

ERFORDIENSIS

CONSENSV ET AVCTORITATE,

SVB PRÆSIDIO

**DN. CONRADI WILH. Stredfers,**

JCTI, JVRIDICÆ FACVLTATIS ET JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS

ASSESSORIS, PROFESSORIS PYBLICI, CIVITATIS ERFORDIENSIS

STNDICI ET CONSVLIS,

PRO GRADV DOCTORALI

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDO,

PYBLICE DEFENDET

AVTOR

**HENRICVS GOTTLIEB JACOBS,**

*Gothanus.*

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI

DIE XXIX. MARTII, M DCC XXXV.

ERFORDIAE, Typis HERINGII, Acad. Typogr.